



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XXIV. Personae ecclesiarum, in quibus monachi habent ius praesentandi,  
monachis de temporalibus, episcopi de spiritualibus debent respondere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

<sup>ANNO CHRISTI  
1179.</sup> sum præbere spectat, eisdem significantur, quod si res ita se haberet, videbatur nobis, concessionem archiepiscopi donationi laicali debere præjudicare: quia sicut diximus, episcoporum est ecclesiarum beneficia conferre: laicorum vero, qui in ecclesia ius patronatus habent, assensum præbere. Quibus in concessionibus ecclesiarum illud obseruandum est, quod sancti patres seruare noscuntur.

CAP. XXIII. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

<sup>\*Ochon.</sup> Suggestum est auribus nostris, quod cum ecclesia de \*Ochera, & de Malehart, & de \*Leinder, de assensu domini fundi, & auctoritate Eboracensis archiepiscopi, ecclesia beati Petri Eboracensi concessæ & assignatae sint in præbendam, canonici de Nouoburgo concessionem illam attenuare & irritare nituntur, occasione donationis, quam sibi asserunt prius factam fuisse. Vnde quoniam licet in donationibus ecclesiarum requirendus sit & expectandus patronorum consensus, ecclesia tamen ipsæ, nisi auctoritas pontificalis interuenerit, canonice concedi non possunt: vniuersitati vestrae significantur, quod prior concessio, si cum consensu patroni & auctoritate dicecesani episcopi facta est, aut eius fuerit assensus postea subsecutus, posteriori concessioni præfertur. Alioquin illa debet præferri, quamvis posterius facta sit, quæ consensu domini fundi & episcopi auctoritate fulcitur.

CAP. XXIV.

*Idem vniuersis monachis regularibus per Cantuariensem prouinciam constitutis.*

Cum deceat nos commodis & profectibus ecclesiarum firmiter intendere, nobis summopere competere dignoscitur, vt earum ordinationibus tanto studiosius intendamus, & ne inordinatae remaneant, vigilem curam, & sollicitudinem adhibeamus: inde est quod vniuersitati vestra, &c. vt in ecclesiis, in quibus præsentationem habetis, cum vacauerint, dicecesanis episcopis clericos idoneos præsentetis, qui illis de spiritualibus, vobis de temporalibus debeant respondere.